

881


CONSTITUTIONES
SEMINARII SALVATORIS
DIOECESIS CALAGURRITANAE
ET CALCEATENSIS



LUCRONII-TYPIS TORROBA

10007040957

R.940



CONSTITUTIONES

SEMINARII SALVATORIS

DIOECESIS CALAGURRITANAE

ET CALCEATENSIS



LUCRONII-TYPIS TORROBA

CONSTITUTIONES

SEMINARII SALVATORIS

DIOCESEOS CALAGURITANAE

ET CALATYNIENSIS



De Seminarii fine, constitutione et regimine supremo

I. Hic est Seminarii finis: eorum, qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt, in virtute et doctrina apta institutio, ut sal terrae et lux mundi ac digni dispensatores mysteriorum Dei aliquando evadant. (1)

II. Seminarium minus a Seminario majore distinctum erit: primum pro pueris litterarum scientia imbuendis, alterum pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus. (2)

III. A jurisdictione paroeciali Seminarium exemptum esto; et pro omnibus, qui in Seminario sunt, parochi officium obeat Rector ejusve delegatus. (3)

IV. Sacerdotum, praesertim parochorum, erit pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arcere, ad pietatem informare, primis litterarum studiis imbuere divinaeque in eis vocationis germen fovere. (4)

V. Ad alumnorum Seminarii sustentationem, si proprii redditus deficient, stips erit, jubente Episcopo, in ecclesiis etiam exemptis exquirenda, tributum seu taxa in dioecesi solvendum, beneficia simplicia Seminario tribuenda. (5)

VI. Supremum Seminarii regimen, ad normam juris canonici et sub auctoritate Sanctae Sedis, ad Episcopum pertinet, consilio adjutum, in negotiis ma-

(1) Can. 1352; Conc. Trident. Ses. XXIII, cap. 18, de Reform. Leo XIII: Encyc. «Etsi Nos», 15 febr. 1882; Encyc. «Quod multum», 22 aug. 1886.

(2) Can. 1354, par. 2.

(3) Can. 1368.

(4) Can. 1353.

(5) Can. 1355.

joris momenti, Sacerdotum deputatorum tum pro disciplina, tum pro administratione bonorum temporalium. (1)

De Regimine interno

VII. Universum Seminarii regimen internum ad Rectorem spectat, cui in propriis muneribus implendis omnes obtemperare debent. (2)

Vice-Rector, qui Rectore absente vel impedito hujus vices geret, speciatim regimini Seminarii minoris addictus erit.

VIII. In regimine Seminarii Rectorem adjuvabunt, praeter Vice-Rectorem: pro re disciplinari Praefecti disciplinae et Inspectores; pro re spirituali Director spiritus; pro re scholari Praefectus studiorum et Magistri; pro re familiari Oeconomus; pro Archivo et actis conficiendis Secretarius. (3)

IX. Illud quam maxime interest, ut quotquot in Seminario Moderatorum aut Magistrorum munere funguntur, semper et ubique, verbo et exemplo alumnis prodesse valeant, ut in his germanus sacerdotalis vocationis spiritus, a cujus vigore Ecclesiae fortuna et animarum salus maxime pendent, copiose florescat. (4)

X. Unde horam surgendi e lecto pro omnibus assignatam, refectorii, scholarum accurate servabunt; ac, simili modo, modestiae, silentii, disciplinae, sacris

(1) Can. 1357-1359; Conc. Trid. Ses. XXIII, cap. 18, de Reform.

(2) Can. 1360, par. 2.

(3) Can. 1358. S. Congregatio Episcoporum et Regularium: «Norme per l'ordinamento educativo e disciplinare del Seminario d'Italia», 18 januar. 1908. Hae normae in redigendis sequentibus Constitutionibus prae oculis passim habebuntur.

(4) Can. 1360. Leo XIII: Epist. «Fin del principio», 8 decemb. 1902; Encyc. ad Episcopos et Clerum Galliae, 8 sep. 1899.

functionibus et actibus pietatis assiduitatis, ceterorumque similium alumni exemplo erunt.

Tempore curriculum nullus onus sacrarum concionum, canonicatui seu beneficio proprio non adnexarum, extra Seminarium sine licentia Episcopi assumat.

XI. Nulli liceat Superiorum alumni cujuslibet opera aut ministerio, sive ad Missae servitium extra horas assignatas, sive ad transcriptiones faciendas, sive ad alium quodcumque opus, in proprium commodum uti, nisi urgente causa et de licentia Rectoris. Ut id per aliquod tempus habitualiter fiat, licentia Episcopi necessaria erit.

XII. Accessus ad partem aedificii, a Sororibus Seminario inservientibus occupatam, Rectori et Oeconomo solummodo permissus erit; ceteris, vero, tantum ex causa legitima ac de expressa Rectoris licentia. Si quid ipsis Sororibus committendum vel ab eis recipiendum sit, id minime fiat nisi per Rectorem vel Oeconomum, pro natura commissionis.

Visitationes feminarum, nisi in loco ad id assignato, a nemine admittantur.

De Rectore

XIII. Constans erit Rectoris cum Episcopo communicatio, ut hunc de statu Seminarii frequenter certiore faciat, et ejus mentem exquirat.

In rebus minoris momenti vel ordinariis ipse Rector per se statuatur; in gravioribus approbationem Episcopi obtineat.

XIV. Licet ceteris Sacerdotibus, in regimine Seminarii cooperatoribus, Rector quamdam aequam libertatem in suis cujusque muneribus relinquet, et fiduciam

ostendet, ipse tamen circa omnes et circa omnia vigilantiam exerceat, ut nihil boni obsolescat, nihil mali irrepat et unitas regiminis constans servetur.

Ad haec plenius obtinenda, cum Praefectis disciplinae et Inspectoribus de statu disciplinari, cum Magistris de statu scholastico alumnorum, singulis mensibus collationem habebit.

XV. Statis diebus alumnos alloquatur, simul in unum vel per sectiones adunatos, de pietate, de disciplina, de christianae urbanitatis legibus, de praeceptis hygienicis, de vestium et corporis munditie, de quadam in conversando comitate cum modestia et gravitate conjuncta opportunam tradens doctrinam.

Idipsum Vice-Rector et Praefecti disciplinae, Rectore impedito vel ipso sic jubente, sub ejus auctoritate praestabunt. (1)

XVI. Singulos, etiam, alumnos paterna et vigilantia sollicitudine prosequetur, in unoquoque eorum sinceritatem et progressum vocationis ecclesiasticae attente observans ac pro uniuscujusque necessitate consilia, admonitiones, correctiones oportunas adjungens.

XVII. Progressui, pariter, scholastico alumnorum Rector vigilantiam praestabit, a Praefecto studiorum et Magistris, quotiescumque ipsi visum fuerit, notitias exquirens, scholas visitans, auditores interrogans, examinibus praesidens.

XVIII. Universam rem oeconomicam Seminarii, ut bonus pater familias, Rector ordinabit. Oecono-
mo opportunas normas significans, expensas ordinarias decernens, pro extraordinariis approbationem Episcopi exquirens.

(1) Can. 1369, par. 1-3.

XIX. In fine cujuslibet curriculi, Episcopo brevem sed exactam relationem scripto remittet de Seminarii statu disciplinari, scholastico et oeconomico, tum quoad Moderatores et Magistros, tum quoad alumnos, simul suum pandens iudicium, si quid, tam in personis quam in rebus, pro curriculo sequenti innovandum putet.

De Directore Spiritus

XX. Praecipua Directoris spiritus cura haec erit: in animis alumnorum, omni zelo et constantia, illam pietatem infundere et excolere quae, cum ad omnia utilis sit, clericis maxime est necessaria. (1)

XXI. Director spiritus, semel saltem in hebdomada, in unoquoque Seminario tam majore quam minore, allocutionem de re spirituali habebit; libros seu materiam lectionis piae ac meditationis seliget; aliquoties, ac praesertim pro alumnis Seminarii minoris, ipsum meditationis argumentum verbo exponet; consilium petentibus excipiendis, docendis, juvandis, dirigendis, maxime circa ipsorum vocationem ecclesiasticam, semper promptus erit.

XXII. Alumni, singulis saltem mensibus, Directorem spiritus adeant, de rebus animae suae tractaturi. Ipse Director singulos alumnos privatim de iisdem rebus, quoties ipsi opportunum visum fuerit, alloqui poterit.

XXIII. Praeter Directorem spiritus, duo saltem erunt confessarii ordinarii, a Rectore cum approbatione Episcopi designati, pro alumnis Seminarii.

(1) Leo XIII: Epist. «Fin del principio», 8 decem. 1902.

Insuper alii, eadem ratione, designabuntur confessarii extraordinarii, ad quos, si ii in Seminario inhabitent, libere alumni, salva disciplina, accedere possint.

Si confessarii extra Seminarium degant, et alumnus aliquem eorum acciri postulet, illum Rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans. (1)

XXIV. Rector, Praefecti disciplinae et Inspectores confessiones alumnorum sibi subditorum ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgente causa in casibus particularibus sponte id petant.

Similiter, Moderator spiritus et Confessarii regimini disciplinari Seminarii ne se immisceant, neque eorum votum, quando agitur de alumno ad Ordines admittendo vel e Seminario expellendo, unquam exquiratur. (2)

De Praefectis Disciplinae et Inspectoribus

XXV. Duo erunt Praefecti disciplinae in Seminario minore: alter pro alumnis latinitatis, alter pro alumnis humaniorum litterarum. Duo, itidem, in maiore: alter pro philosophis, alter pro theologis.

XXVI. Excepto tempore quo alumni intra scholas degunt, universa cura de ipsorum disciplina, conversatione, urbanitate, hygienica observantia Praefectis competit.

XXVII. Horum, proinde, erit vigilantiam quam maxime diligentem, continuam ac cautam simul, circa alumnos sibi commissos exercere, ita ut hi habitum paulatim acquirant bene sese gerendi, conscientia po-

(1) Can. 1358 et 1361.

(2) Can. 891 et 1361, par. 3.

tius et amore, quam timore vel correptionibus, ac ita ut illa vigilantia, quo alumni aetate proficiunt ac praesertim in theologis, cautior seu non apparens in dies evadat.

XXVIII. Quam maxime a Praefectis, inter se et cum Inspectoribus, curanda constans ac uniformis directionis ratio et hujus cum proprio exemplo concordantia, ut alumni, quod ab uno Moderatore discunt, nunquam ab alio vel ab ipsius Moderatoris exemplo emendatum reperiant.

XXIX. Praefecti normas seu instructiones a Rectore acceptas fideliter exsequentur, et ipsum Rectorem de conversatione uniuscujusque alumni sincere certiores facient.

Regesta pro censura seu punctis, uniuscujusque alumni conversationi assignatis ac ipsis alumni et eorum parentibus opportune legendis vel transmittendis, accurate confecta habeant.

XXX. Singuli Praefecti eam partem aedificii Seminarii habitabunt alumni sibi commissis assignatam.

XXXI. Inspectores, justa numerum alumnorum necessarii, Praefectos in suo munere implendo juvabunt.

De Praefecto Studiorum

XXXII. Praefecto studiorum competit ea omnia ordinare, sub auctoritate Rectoris, quae ad rationem studiorum seu formationem scientificam alumnorum pertinent, ac sedulo vigilare ut magistri suo munere rite fungantur. (1)

XXXIII. Illius, proinde, erit disponere et Rectori,

(1) Can. 1369, par. 3.

ab ipso vel, si casus ferat, ab Episcopo approbanda, subijcere materies seu programmata quolibet curriculo a singulis Magistris explicanda, textus seu auctores perlegendos, lectionum quotidianam vel per hebdomadam distributionem, exercitationes tam privatas quam publicas habendas, libros pro bibliothecis unicuique facultati adnexis seligendos, examina ab alumnis cujuslibet scholae subeunda, normas paedagogicas observandas.

XXXIV. Praefectus studiorum scholas singulas opportune visitabit, alumnos interrogabit, a Magistris notitias exquiret et omnia peraget necessaria ut statum et profectum scholarem Seminarii bene calleat.

XXXV. Si quid in his corrigendum vel innovandum invenerit, nec monitione emendetur, Rectori deferat.

XXXVI. In fine cujuslibet curriculum, accuratam de statu scholari Seminarii ac de uniuscujusque Magistri opera relationem Rectori tradet.

De Magistris

XXXVII. Haec erit praecipua Magistrorum cura: mentem alumnorum, indefesso studio consummataque peritia, in cognitionem disciplinae sibi commissae inducere, hoc prae oculis habito, quod *primus discendi, ardor, nobilitas est Magistri*. (1)

XXXVIII. Hora statuta pro initio et fine scholae a Magistris diligentissime servabitur, ita ut ab ipsis alumni exemplum semper discere possint. Intra scholas iidem Magistri Praefectorum disciplinae simul munere fungentur.

(1) S. Ambros, de Virginibus.

De re politica vel de rebus cum materia lectionum non connexis loqui omnino vetitum sit.

XXXIX. Magistri materias lectionum diligentes parabunt, programma curriculi plene absolvent; auditorum solertiam ac laborem interrogationibus, monitionibus, specialibus circa alumnos non ita ingeniosos, si opus fuerit, curis excitabunt, fovebunt, moderabuntur; ea omnia quae a recta paedagogia traduntur circa methodum in praelectionibus et perspicuitatem, ordinatum earundem progressum exercitationes practicas, quotidianas vel periodicas repetitiones, inter auditores disputationes et cetera similia in praxim reducent.

XL. Regesta, in quibus singulorum alumnorum puncta seu progressus scholares annotabunt, Magistri accurate conficient.

XLI. Id nunquam obliviscantur Magistri: auditores suos in spem Ecclesiae ad Sacerdotium formari, atque hunc scopum nunquam a mente discedere debere, tum in qualibet disciplina, etiam profana, tradenda, tum in exemplo alumnis jugiter praebendo pietatis, observantiae, gravitatis, modestiae, comitis conversationis.

De Oecono

XLII. Oecono competit administratio et dispensatio, sub auctoritate Rectoris, rei familiaris Seminarii. Itidem famulorum domesticorum cura ac circa horum conversationem religiosam, moralem ac disciplinarem vigilantia.

XLIII. Sumptus ordinarios, sive ad victum quotidianum sive ad alios usus necessarios, juxta normas generales, pro statu oeconomico Seminarii a Rectore traditas, ipse expendet. Extraordinarios vero approbationi Rectoris toties quoties subjiciet.

XLIV. Sollicitudine et caritate vere christiana cubabit Oeconomus ut Moderatoribus, alumnis, hospitibus, Episcopo in Seminario commoranti et, maxime, infirma valetudine utentibus, nihil in victu, in cubiculis, in debito ministerio necessarii desit.

XLV. Fabricae aedificii et adnexis viretis seu hortis, utensiliis et supellectili diligenter invigilabit, ut nihil depereat, si quid labefactum sit quam citius repnatur, omnia secure, ordinate et munda serventur.

Claves omnes, quas alii jam Moderatores ratione officii minime retineant, ipse custodiet; et nocte incoepta, ante somnum, num portae seu aditus Seminarii obserati maneant ipse perlustrabit.

XLVI. In fine cujuslibet curriculum accepti et expensi relationem Rectori tradet, cum hujus informatione ab Episcopo approbandam.

De Secretario

XLVII. Secretarii erit Rectorem juvare in conscribendis documentis, actis, litteris quae negotia vel regimen Seminarii exspectant.

XLVIII. Similiter in tuto archivo documenta et scripturas ejusdem Seminarii diligenter custodire, nec non acta, informationes ad singulos alumnos attinentia; omnia ordinate disposita et catalogis inscripta.

De Alumnis

De admissione et dimissione alumnorum

XLIX. Candidati in Seminarium nec ante annos undecim nec post annos quatuordecim nec ab aliis Seminariis aut a Religione dimissi, inconsulto Episcopo, admittantur.

L. Uno mense, ante inceptum curriculum, singuli candidati petitionem admissionis Rectori porrigent, una cum attestazione parochi de baptismo et confirmatione susceptis, de legitimitate natalium, de primis litteris delibatis, de bona valetudine, de vita et moribus. (1)

LI. His acceptis et informationibus ac experimentis sibi bene visis peractis, Rector candidatos, quorum indoles et voluntas spem magis afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, deligere curabit, eo numero qui, justa adjuncta ac statum Dioecesis, huic necessarius vel utilis reputabitur. (2)

LII. Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua Religione ne admittantur, nisi prius Episcopus, etiam secreto, a Superioribus aliisque notitias requisierit de causa dimissionis ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias, veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent. (3)

LIII. E Seminario dimittantur dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur; itemque, qui in studiis adeo parum proficiunt, ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos; praesertim vero statim dimittantur qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerint. (4)

LIV. Rector et Moderatores omnes curabunt ut dimissio eorum omnium, qui, qualibet ex causa, ad Sa-

(1) Can. 1363, par. 1.

(2) Can. 1363, par. 2; 969, par. 1.

(3) Can. 1363, par. 3.

(4) Can. 1371.

cerdotium aperte inepti sint, statim fiat; eorum, vero, qui dubie apti videantur, perdurante cursu litterarum humaniorum, vel saltem ante absolutum cursum philosophicum, perfecta sit.

LV. Dimissio alumnorum, nisi casus urgeat, approbationi Episcopi subjicietur.

De Disciplina

LVI. Omnes, tam Moderatores quam alumni, observantiam disciplinae magni facient, illud S. Pii X alte retinentes: *Quam (disciplinam) qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptive fragant, is a spe Sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum.* (1)

Circa
Supe-
riores

LVII. Hoc erit totius disciplinae caput et summa: erga Moderatores omnes eorumque mandata alacris et perfecta obedientia, non executionis tantum sed etiam voluntatis ac mentis, ita ut nulla cunctatio, nulla repugnantia, nullum murmur inveniri liceant.

LXIII. Alumni, etiam Sacerdotes, Moderatores omnes observent ac modeste alloquantur, eisque debitum reddant honorem, ad ipsorum accessum surgentes et caput discooperientes.

Si quid Rectori deferri oporteat, non turmatim neque communi ulla allegatione, sed singuli per se ipsos debita modestia ac reverentia proponent.

LIX. Quotiescumque inter alumnos praesentia desit Moderatoris vel designati Inspectoris, ad ea omnia

(1) Mot. Prop. «Sacrorum Anistitum», 1 sep. 1910.

quae juxta disciplinam vel usitatum morem decernenda sint, officium Praefecti ipso facto assumet dignior in Ordine, antiquior in Seminario, vel major aetate.

Circa LX. In quotidiana cum sociis conversatione nec
Conso- maledici, nec rixatores, nec amari, nec scurriles sint
cios sed potius comes, mites, humani, circumspecti, honore
invicem praevenientes.

LXI. Omnes, fraterna caritate, etiam si Sacerdotes sint, iisdem legibus vivant et communem vitae rationem sequuntur, nihil peculiare in cubiculis, mensis et aliis similibus usurpantes, illius sententiae memores: *mea maxima poenitentia vita communis.*

LXII. Aliorum pravam agendi rationem, maxime si haec scandalo vel perversioni sociorum locum dare possit, Superiori quamprimum denuntient, hoc alte retinentes: correptionem fraternam, per denuntiationem Superiori factam, non ex odio vel vindicta, sed ex zelo animarum et boni communis, actum esse praecellentem, imo praeceptum, christianae caritatis.

LXIII. Inter alumnos utriusque Seminarii majoris et minoris vel diversarum sectionum, nulla permittenda communicatio, sine rationabili causa a Moderatoribus probanda.

Alumni vero ipsius sectionis, animorum conjunctionem et fraternam caritatem mutuo servantes, nullas singulares foveant amicitias.

Circa LXIV. Omnes veste talari induti incedent honesta
singulo- et Superiorum judicio convenienti.

In seipsis ac in rebus suis omnibus ordinem, modestiam, munditiam, et simplicem decorem curabunt.

LXV. Omnia prompte ac libenter praestanda quae, seu tintinabulo seu quovis signo, a Moderatoribus praescribentur. Mane omnes eodem tempore, in uno-

quoque Seminario, surgant et omnia sic expediant ut lectulum tempestive componant; nocte vero, post examen conscientiae, nemo studio vel scriptione detineatur, sed omnes eodem tempore cubitum eant.

LXVI. Extra tempora recreationi assignata, hac ratione silentium servandum erit, ut nemo loquatur nisi de rebus necessariis et voce submissa, praesertim in templo, in aulis et in refectorio, in quo refectio corporis lectio adjungetur, qua animus etiam spirituali pabulo foveatur. Ab hac lectione quibusdam diebus magis notandis dispensare poterit Rector.

Tempore silentii, si quid inter se loqui necesse erit, in Seminario majore ac in sectione humaniorum litterarum latine loquentur.

LXVII. Unusquisque locum sibi a Moderatoribus assignatum teneat; a cubiculis, ab aula studii vel a quovis loco, ubi universi ex praescripto esse debent, sine Praefecti facultate non egrediatur; aliorum cubicula mensasve ne adeat; in fenestras ne se conspiciendum prodeat.

LXVIII. Nemo e Seminario egrediatur nisi ex justa causa a Rectore probanda, neque extra Seminarium cibum capiat sine ejusdem Rectoris licentia, hac semper adjecta condicione pro egressu in civitatem, ut ante solis occasum regressus fiat.

Deambulandi autem causa plures simul exeant cum suis Praefectis seu Inspectoribus, et domum tempore designato ante noctem revertantur.

LXIX. Litteras nec recipiant nec mittent inscio Superiore, a quo sunt inspiciendae.

Similiter nulli cibum potumve, inscio Superiore, introducere domum licebit; nec ulli alumnorum liceat apud se pecunias habere, at si quas vel ipsi attulerint

vel ab alio missas acceperint, eas Oeconomus ad eorum usus necessarios vel convenientes servabit.

Tabaci usus, sive domi sive foris, omnibus omnino prohibetur.

LXX. Nullus ita cubiculum suum claudat quin aperiri extinsecus possit, aut arcam vel quidquam aliud habeat obseratum sine Superioris facultate.

LXXI. Tempore recreationis omnes utantur moderate, ut neque quieti omnino maneant, neque nimia corporis exercitatione vel valetudini noceant, vel modestiae leges infringant.

LXXII. Si quando ab externis in Seminario visitandi erunt, id extra tempus et locum designatum, vel a non propinquis, sine Superioris facultate non fiet.

LXXIII. Qui sese aegrotare senserint, Moderatores statim moneant, ut in valetudinarium, si opus fuerit, transferantur. Omnes leges hygienicas diligenter servent; munditiem in capite, in manibus, in dentibus quam maxime curent; corpus saltem bis in mense, hora statuta et omni modestia, aqua tepida lavent.

LXXIV. Tempore vacationum Nativitatis Domini et Paschatis alumni e Seminario minime egrediantur. Tempore vero vacationum aestivarum in proprias domos mitti poterunt per dies, si fieri possit non ultra mensem, a Rectore, consulto Episcopo, definiendos.

De Pietate

LXXV. Candidati, cum in Seminarium recepti fuerint, in rebus spiritualibus ad procurandam et tuendam animi puritatem, una cum timore et amore Domini, et ad mentem in Deum attollendam diligenter instruantur, juxta illud Leonis XIII: *Decet clericos vel*

a prima aetate jugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari. (1)

LXXVI. Singulis diebus, communiter matutinas et vespertinas preces recitent; per dimidium horae in Seminario majore, per quadrantem saltem in Seminario minore orationi vacent; sacrificio Missae intersint.

Visitationem Sanctissimi Sacramenti bis saltem in die, post prandium et post coenam, peragant.

Ad sonitum horarum B. Virginem honorent *Salutatione Angelica*. Initio studii aut scholae *Actiones nostras...* cum *Ave Maria...* et invocatione *Sedes Sapientiae...* recitent; in fine vero *Agimus...* et *Ave Maria...*

Semel saltem in hebdomada, adsint instructioni de rebus spiritualibus, quae pia exhortatione claudatur; ad sacramentum poenitentiae accedant, et frequenter, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficiant.

Dominicis et festis diebus, sacris Missarum et vespersarum sollemnibus adsint; altari inserviant, sacrasque caeremonias exerceant.

Singulis annis, initio curriculi, alumni Seminarii majoris et litterarum humaniorum per octo, ceteri vero alumni per quinque dies continuos exercitiis spiritualibus, ad mentem Sancti Ignatii Loyolaei vacent. (1)

Praxim quoque recollectionis menstruae omnes commendatam habeant.

LXXVII. Devotionem filialem erga B. Virginem Mariam impense foveant et ejus Rosarium quotidie recitent.

(1) Encyc. «Paternae», 18 sept. 1899.

(1) Can. 1367.

Singulos horae quadrantibus lectioni spirituali post Rosarium, et discutiendae conscientiae precibusque serotinis ante cubitum tribuant.

Qui divinum officium recitare debent, attente, devote et opportuno tempore recitent; ceteri, autem, preces horarias Beatae Virginis ad arbitrium confessorum recitare poterunt.

Qui ad Sacerdotium jam promoti fuerint ita vivere studeant, ut quotidie Missae sacrificium merito offerre possint; in quo peragendo pronuntiationem actionesque omnes ita moderentur, ut non minus aliorum aedificationi quam propriae devotioni inserviant; ideoque semihoram in celebrando attingant.

LXXVIII. Habeant libros pios sive privatim sive in commune, quos ut minimum diebus sacris aut vacationum tempore, ex iudicio Directoris spiritus, legant, ut ex eis exempla vel monita pietatis percipiant.

LXXIX. Omnes divinam pietatem pro benefactoribus Seminarii frequenter exorandam curabunt, pro quibus, praeter eas preces quas gratus animus suggerat, singulis diebus, *Pater Noster* et *Ave Maria* post Rosarium, singulis autem mensibus tertiam partem ejusdem Rosarii offerent. Curabit item Rector ut singulis mensibus una Missa pro iisdem benefactoribus applicetur.

Similiter omnes orent pro invicem, ut salventur et ut in vocatione ecclesiastica perseverent. Si quis vero in periculo mortis versetur, speciales pro eo indicantur fraternae orationes.

De Studiorum Ratione

LXXX. Etsi illae potissimum disciplinae, data opera, tradentur, quas humaniorum litterarum, philoso-

phiae et theologiae, tum dogmaticae tum moralis, cognitio postulat, nullae tamen repudiabuntur quae, pro ratione temporum, ad pleniorum et ornatiorum ecclesiastici viri institutionem pertinent.

Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem Professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant. (1)

In aliis omnibus disciplinis, etiam profanis, tradendis semper prae oculis habeatur, tam in selectione materiae quam in forma praelectionum, finis obtinendus, nempe: formatio intellectualis, quam maxime plena ac efficax, ad sacerdotale ministerium.

LXXXI. In quaestionibus speculativis sive theologiae sive philosophiae adhibeatur methodus quam scholasticam vocant, non neglecta, tam in proponendis argumentis quam in afferendis, disputandis, solvendis difficultatibus, forma syllogistica. (2)

In his et in universis aliis disciplinis, pro uniuscujusque natura, exercitationes practicae, repetitiones, disputationes frequenter et accurate habeantur.

LXXXII. In unaquaque facultate bibliotheca privata adsit, ex libris selectis ad auditorum usum accommodatis, qui disciplinis discendis atque exercitationibus inservire possint. (3)

Bibliotheca generalis, quae Magistris patere debet, singulis annis, pro conditione oeconomica Seminarii, libris recens scriptis vel magis utilibus augeatur.

(1) Can. 1366, par. 2.

(2) S. Congregatio de Seminariis: «Ordinationes ad Constitutionem Apostolicam «Deus Scientiarum Dominus» de Universitatibus et facultatibus studiorum ecclesiasticorum rite exequendam», Tit. III, art. I, par. 3.

(3) Const. Apost. «Deus Scientiarum Dominus», art. 48.

LXXXIII. A primo litterarum humaniorum ineunte curriculo praelectiones, in universis disciplinis primariis, latine peragantur.

LXXXIV. In scholis inferioribus Seminarii minoris praecipuum locum obtineat religionis disciplina quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicabitur, praelectione Catechismi singulis sabbatis per annum, Historiae Sacrae semel in hebdomada duobus primis annis, et Religionis semel item in hebdomada tribus postremis annis.

Linguas praesertim Latinam et Patriam alumni accurate addiscant, quibus addatur cognitio sufficiens Linguae Graecae et Hebraicae.

In Geographia, Historia Civili Patria et Universali, Arithmetica, Geometria et Musica ea institutio tradatur quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione nostra (1)

LXXXV. Unde curriculum studiorum in Seminario minore quinque integros annos complectetur, quorum primus ad perfectionem instructionis primariae et prima elementa libanda grammatices latinae et graecae praecipue ordinabitur; secundus et tertius ad pleniorum harum simul et linguae patriae cognitionem; duo postremi ad studium et exercitium litterarum humaniorum.

LXXXVI. In philosophiam rationalem cum disciplinis accesoriis, Algebra, Physica, Chimia, Astronomia, Physiologia, Biologia et Geologia, alumni per integrum triennium incumbant. (2)

Durante cursu philosophico, bis saltem in hebdo-

(1) Can. 1364.

(2) Can. 1365, par. 1.

mada, lectiones et exercitia protrahentur litterarum humaniorum et Musicae. (1)

LXXXVII. Cursus theologicus integro quadriennio contineatur, et, praeter Theologiam Dogmaticam et Moralem, complecti praesertim debet studium Sacrae Scripturae, Historiae Ecclesiasticae, Juris Canonici usui parochorum accommodati, Liturgiae, Sacrae Eloquentiae et Cantus Ecclesiastici.

Habeantur etiam lectiones de Theologia Pastoralis, additis practicis exercitationibus de ratione administrandi sacramenta, tradendi pueris aliisque catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis, ordinanda actione catholica in paroeciis. (2)

Scholaris anni initium cum Missa de Spiritu Sancto, fidei professione (3) ac prolusione academica convenienter celebretur.

LXXXVIII. Examina erunt: *Trimestralia*, bis in anno, ante vacationes Nativitatis Domini et Paschatis, pro alumnis Seminarii minoris; *generalia* pro alumnis utriusque Seminarii in fine curriculi; *extraordinaria* mense septembri die et hora singulis assignanda.

De Ordinationibus

LXXXIX. Ordinarie alumni ad Tonsuram, Ordines Minores et Subdiaconatum promovendi erunt intra annum tertium, ad Diaconatum et Presbyteratum intra annum quartum cursus theologici.

XC. Appropinquante tempore, quo candidati erunt

(1) S. Congregatio de Sem. et Univer. «Ordinamento dei Seminarii» 26 april. 1920, VIII.

(2) Can. 1365, par. 2-3.

(3) Can. 1406, par. 1, n. 7.

Primam Tonsuram vel aliquem Ordinem recepturi, Rector suum Episcopo pandet iudicium de uniuscujusque candidati moribus, ingenio et aliis signis vocationis sacerdotalis; et ea omnia, de mandato habituali Episcopi, diligentissime peraget, quae in Decreto S. Congregationis de Sacramentis diei 27 decembris 1930 praescribuntur, actis in archivio servandis.

XCI. Omnes novi Presbyteri, tam majoris devotionis quam expensas inutiles vitandi causa, primam Missam in Seminario celebrent, et quidem lectam, nisi uni alterive solemnem Rector permisserit.



Primum Tōmōmō vel Episcopum Ordinem rectorum
Hector enim Episcopo pariter pariter de unius
cognome pariter pariter pariter et aliter
venerabilis venerabilis et ex parte de unius
habitu Episcopo aliter pariter pariter
Lectoris & Congregationis de Sacramento dei
cognome 1830 pariter pariter in unius
venerabilis

XCI. Omnes vero Pariter pariter pariter
Hector pariter pariter pariter pariter
Milem in Seminatio pariter pariter pariter
Hector pariter pariter pariter pariter
in aliter pariter pariter pariter pariter
(2) pariter

Pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter

Pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter



Pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter

Pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter
pariter pariter pariter pariter pariter

